DISQUISITIONES AETIOLOGICAE
DE
MORBIS HERPETICIS ET ALIIS CHRONICIS EXANTHEMATIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS SCRIPSIT ATQUE
DIE XV. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
JONAS HENRICUS SCHWEICH,
NEOVIDANUS.

OPPONENTIBUS:

P. STARK, MED. ET CHIR. DR.
G. ZIEGENER, MED. ET CHIR. CAND.
W. DAVISON, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

VIRIS

AMPLISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS, ILLUSTRISSIMIS

G. BUSCH,

MED. ET CHIR. DOCTORI, PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA, INSTITUTI CLINICI OBSTETRICII REGII DIRECTORI, AUGUSTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIS MEDICIS, ORDINIS REGII DE AQUILA RUBRA ATQUE HASSICI LEONIS EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITERARIARUM SODAI ETC. ETC.

ET

J. MUELLER,

MED. ET CHIR. DOCTORI, ANATOMIAE ET PHYSIOLOGIAE PROFESSORI P. O. IN UNIVERSITATE LITERARUM BEROLINENSI ET IN ACADEMIA REGIA MEDICO-CHIRURGICA MILITARI, MUSEI THEATRIQUE ANATOMICI DIRECTORI, ACADEMIAE LITERARIAE BEROLINI FLORENTIS ALIARUMQUE ACADEMIARUM ET SOCIETATUM LITERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS AD CINERES USQUE COLENDIS,

HASCE

QUALESCUNQUE STUDIORUM PRIMITIAS

SUMMA, QUA DECET, REVERENTIA

GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

Unicuique aegre est ferendum, quod in summa copia dissertationum inauguralium, legibus decretarum, tam paucae sunt, quae revera prosint medicinae. Quum enim plerique aegritudinem tractent, cujus pathologiae et therapiae praebent specimen, tantum abest, ut illi, qui modo academiam reliquerunt, nobis quidquam novi praebeant, ut compilationem, quaecunque est, nobis ante oculos ponant. Sed quomodo res se habet, quicunque studium sibi proponit aliquod pathologiae generalis, quae minime est culta, quicunque literas tam copiosas clinicas nostri temporis diligenter pervolvit, circuitumque physiologiae magis magisque exauctae, ut quandam pothologiae generalis rem melius illustraret, utiliter adhibet: de dissertationibus scribendis optime meruerit. Sed hancce sententiam dissertatiuncula mea adjuvari, non credere audeo, quae tam sterilem meorum studiorum, quantulacunque sunt, summam docet; sed tantum ea re aestimanda est, quia illustrissimus Joannes Müller, quem pia grataque mente praeceptorem

benignum veneror, me docuit suis consiliis et optimis et certissimis.

Causas occasionales chronicorum exanthematum tacite omisi, quum de iis novi quidquam dicere nescivissem; et sic, quum res, de quibus disserui, difficiles et obscurae sint, hancce dissertatiunculam lectori benevolo trado, quam qualemcunque, ut aequus lector benevole et indulgenter dijudicet, enixe peto rogoque.

DE NONNULLIS SCRIPTIS.

Quaerentibus ex nobis, quo fiat, ut literae et maxime Germanorum de exanthematibus chronicis tam steriles sint, respondebimus, medicos, quamquam tanto ardore scribendi correpti sunt, cum raro nobis eas morborum historias communicare, in quibus res non bene gesta sit, tum neque unquam sectiones facere solere eorum, qui chronicis exanthematibus laborantes mortui sint, si non aliud quoddam manifestum malum mortui ad sectionem cadaveris eos moveat.

Pauca ista scripta, quae legimus his de morbis, haec sunt.

1) Poupart: Abhandlung von den Flechten. Aus dem Französischen übersetzt von Joh. Conrad. Strassburg 1784. 8. minor. XXVI. et 196 pag.

Nimia copia et nimio studio theoriae agitur de origine exanthematum, et sectio de causis (pag. 13—57) est aeque ac tota commentatio incommoda et inepta. Auctor adjuvat argumenta sua hypothesibus et innumerabilibus et falsissimis pothologiae et physiologiae, quae imo pro suo tempore vituperandae sunt. Mucus, inquit, et bilis se con-

jungunt cum sero sanguinis (quod auctor substantiam a sanguine jam in corpore vivo separatam habere videtur) et vasorum fines, vasa capillaria et glandulas cutis ita obstruentes, hocce modo herpetem efficiunt. O dementiam inutilium et plurimum falsorum praeceptorum, o illam vanam inanium verborum turbam, quae tamen neque quidquam praebet lectori! Sed in quaestionibus de causis exanthematum occasione oblatis, ubi auctor veras experientias praebet, nos quoque melius docet: Usus nutrimentorum salsorum et imprimis carnis porcinae salsae saepissime maximi momenti est, quod attinet ad exanthemata, quod et populi boreales et nautae optime confirmant; porro lochiae suppressae, interrupta lactis secretio, haemorrhoidum fluxus omissus et ulcera repulsa; aër humidus, regiones madidae, communicatio contagii exanthematis. Auctor semper perquam singulari modo humores persequitur, proximas causas declarare studens.

2) A. K. Lorry's Abhandlung von den Krankheiten der Haut. Aus dem Lateinischen übersetzt von C. F. Held. Leipzig, 1779. 2 Bände. 8.

Haec nimis copiosa commentatio, ut multa alia obscura scripta ejusmodi, triste exemplum nobis dat, quantopere scriptor a praeceptis veri atque recti abhorrere atque hypotheses edere possit et falsas et ridiculosas: nam scientiae ejus medicae physiologica abest basis, atque solum in studendo veterum medicorum operibus omnem operam navat eorumque consilia adoptat et arrogat,

quin etiam ex hoc levi pravoque studio conclusiones componit.

3) Retz: Die Krankheiten der Haut, ihre Ursachen, ihre Symptome und ihre sowohl schickliche als widersinnige Behandlungen. Aus dem Französischen und mit Anmerkungen begleitet von C. A. P. XVI. et 112 pag. Breslau 1788. 8.

Ut medicorum studium systematum posteris nihil nisi praecepta confirmat, quae jam inter omnes constabant quodammodo, ita et hic liber nos solum certiores facit, esse quosdam cutis morbos, qui bilis abnormi naturae debeant existentiam.

Auctor in physiologicis hypothesibus sua argumenta ponens, ita theoriam suam amat, ut facta, quae aut rarissime aut nunquam sunt, summo ardore affirmet: jecur nempe, ut ille auctor disserit, bilem accipit ea de causa, ut expellat sulphuratas resinosasque substantias, quia bilis sine purgatione et extenuatione hepate faciliter circulationem humorum prohibere potest (cf. pag. 19.), sudor porro biliosum odorem coloremque habet. Quodcunque corporis secretum, ut iste auctor multis cum verbis declarare studet, bile inficitur, si non aëre albescit, et inde cerumen aurium colorem habet, itaque sunt Aethiopes, quia bilis eorum colorem habet nigrum, nigri! (pag. 22.) O sancta simplicitas!

Nimius usus nutrimentorum salsorum atque spirituosorum plerosque cutis morbos efficit, quippe cum jecur eos cibos nullo pacto purgare possit. Bilis mor-

bi porro in zonis moderatis terrae rariores propter bonam evaporationem (sed hoc est eo falsius, quo saepius experientia nos docet, et apud nos quoque calidioribus aestatibus, quamquam transpiratio nostra fortissima est, morbos biliosos saepissime oriri) (cf. pag. 26.). Tunc pergit bonus auctor: ex abundantia bilis anginas, epidemias, anxietates, tussim et phthisin pulmonalem oriri, quia bilis supervacua et falsa membranas mucosas perdat! (pag. 28.). Causas coloris sputorum flavorum et viridis et flavi muci nasalis et conjunctivae secreti nihil aliud esse, quam bilem, et ipsam leucorrhoeam non albam esse, sed derivari et abundantia bilis, atque esse flavam (cf. pag. 32.). Sapienti sat, — plura exempla florent nimis odiosa! — Auctor narrat casus quosdam, in quibus exanthemata et alii chronici morbi cutis cum hepatis morbis conjuncti, curatione hujus organi sanabantur et illa commentatione demonstrat, morbos hepatis quoque in cute posse reflecti.

4) W. G. Tilesius: Theorie der Flechtenartigen Ausschläge. Ein Versuch zur nähern Bestimmung der chronischen Hautkrankheiten. 64 p. 8. mit Kupf. Leipzig, 1802.

Multa promissa in praefamine nihil paene sequitur; aetiologiae hocce opere nihil, pathologiae et therapiae parum est additum.

5) J. Pet. Frank: De curandis hominum morbis epitome. Pars IV.

6) Alibert: Précis théorique et pratique sur les maladies de la peau. Paris, 1818. Vol. I.

7) Haase: De exanthematibus chronicis in universum. Lipsiae, 1820. 4.

Hi scriptores satis celeberrimi eas enumerant causas, quae vel in libris, vel in cathedris plus minusve perfecte docentur.

Praedisponentes causas habent, nimiam receptivitatem corporis et imprimis cutis, haemorrhoides, tempus mensium, diversas cachexias, ut scrophulosis, arthritis. Causas vero occasionales habent: clima, anni vicissitudines, animi pathemata, diaetae peccata, imprimis usum ciborum salsorum et spirituosorum, neglectam cutis depurationem, mollitiem cutis, endemica momenta, veluti aquam, auram externam, nutrimenta quaedam, ut pisces, oleosos et salsos cibos et alias causas, quorum propius momentum exanthematum gignendorum aut exiliter aut nullo nomine declaratum invenimus.

Grave quoddam et difficile problema esse, hoc nostro requisito satisfacere, sed etiam multas causas esse manifestas, negare non possumus.

Exanthemata (ut exemplum citemus) tam saepe annis climactericis apparentia, hoc modo exponenda sunt, ut dyscrasia herpetica perpetuo jam extitisset, quae autem inter mensium tempus cum sanguinis copia, productivitate feminae propria adaucta, orta supervacua, ad fetum nutriendum, per uterum adhuc critica secretione expulsa sit. Similis ratio demonstrandi est ex-

anthematibus in haemorrhoidibus anomalis et perbene igitur dicit **Alibert**: (l. c. pag. 327.) „Pourquoi „multiplier les faites? Concluons que le vice dartreux „s'echappe d'une multitude de sources dans l'économie „animale, et qu'il s'y propage par mille racines; que „la peau, sympathisant par la plus intime correspondan-„ce avec l'universalité des organes, tout ce qui peut „altérer leur libre exercice, et troubler l'action des ex-„halans, peut aussi déterminer l'apparition des Dar-„tres. On ne sauroit assez le répéter: très souvent „ces sortes d'éruptions ne sont que la crise des mala-„dies intérieures. La nature se dépure par ces phleg-„masies cutanées. On a put se convaincre de cette „verité, lorsque j'ai fait mention des rapportes d'analo-„gie qui rattachent les Dartres aux autres affections „morbifiques, dont le corps vivant est susceptible."

8) W. B. **Fraenkel**. Die Flechten und ihre Behandlung. Elberfeld und Barmen, 1830. X et 79 pag.

Hicce liber practica ratione imprimis eminet, et revera optimum hujus rei usque ad hoc nostrum tempus praebuit. Sed quamvis auctor, non solum suas utilissimas experientias, sed etiam alienorum magna cum laude nobis ante oculos ferat, tamen facere non possumus, quin dicamus illum levius de causis agere, et communia diaetae peccata, quae procreant exanthemata, solum deinceps numerare. Sed, si infitiandum non est, gravia diaetae peccata, quod attinet ad cibos et

potiones, cutis culturam et animi morbos, favere exanthematibus, nobis tamen fatendum est, haec peccata saepissime admitti, neque tam ex iis ullum exanthematum vestigium proficisci, itaque causae non haberi possunt essentiales, sed occasionales modo, quarum ratio est sine dubio tota hominis affecti organisatio; faventes enim causae et hic sunt, ut in aliis chronicis morbis, statum aegroti pejorem reddentes, non vero originem morbi praebent.

9) Thom. Bateman: Prakt. Darstellung der Hautkrankheiten, nach Willan's System bearbeitet. Aus dem Engl. übers. von A. Hanemann, mit Vorrede und Anmerk. von Kurt Sprengel. Halle 1815. 8.

10) Robert Willan: Die Hautkrankheiten und ihre Behandlung, system. beschr.; aus dem Engl. mit Anm. von F. G. Friese. Breslau 1799—1816. 4 Bde. gr. 4. mit ill. Kupf.

11) A. Cazenave und H. E. Schedel: Prakt. Darstellung der Hautkrankheiten, nach den geachtetsten Schriftstellern, vorzüglich aber nach den, in der Clinik des Herrn Dr. Biett im Hospital Saint - Louis gesammelten Beobachtungen und Erfahrungen. Aus dem Französischen übersetzt. Weimar 1829. 8.

Hi tres libri rationem praxeos medicae praecipue habent. Tertius verum hoc respectu vix ullo alio opere de morbis chronicis exanthematicis disserente, perfec-

tione aequatur. Ambo vero de aetiologia nimis tradunt negligenter et exanthemata componunt in classes, ordines, genera vel species, secundum formarum similitudinem, ut omnes alii adhuc auctores.

Haec vero divisio exanthematum ad finem rationi consentaneum non perducit, quippe cum longe plurima dyscrasiis humorum quibusdam existentiam debeant, itaque distribuantur secundum fontium varietatem. Tunc fontium exanthematum cura, qua nulla alia melior est, optimam viam nobis monstrabit, qua convertamus, illos morbos ratione optima curaturi.

12) Richter: Specielle Therapie. Bd. 6. Berlin 1819. 8. pag. 21.

Hic auctor illis ex minoribus est, qui dyscrasias exanthematum causas negant. Sibi vero non constat, ut patet ex his suis propriis verbis: — — — „In diesen Ansichten findet von selbst die Meinung der ältesten Aerzte, welche mannigfaltige Schärfen und „Dyskrasien, überhaupt eine Verderbniss der Säfte als „nächste Ursache der Hautkrankheiten annehmen, ihre „Berichtigung. (Attende!) Deutliche primäre Fehler „der Säfte müssen nothwendig bei ihnen vorkommen, „da die hier immer primär ergriffene Reproduction sich „stets durch fehlerhafte Mischung der Materie, und ein „Leiden der chemischen Seite des Organismus zu er„kennen giebt.“ Etiam ibi quo hic auctor herpeticorum exanthematum causas explicat, (l. c. pag. 223.) satis agnoscit humorum abnormitatem, et cum aliis hanc

quoque causam suspicatur: a renum secretione abnormiter diminuta, herpetem oriri posse; quod Vogel jam prius conjecit.

Alia scripta de re nostra, quae legebam, adeo neglexerunt aetiologiam, ut quae memorentur sint indigna, ubi de aetiologia modo agitur. —

ALIAE DISQUISITIONES AETIOLOGICAE.

Morbi chronici exanthematici iis adnumerantur, qui tam saepe et medico et aegroto frustrabiles fere curae medicae eventus relinquunt. Doceant nos quotidianae experientiae, aegrotorum nonnullos feliciter ac plane sanari, medico perito tamen fatendum est, tot praecipue herpeticos omnia remedia pertinacissime contemnere, quibus medicus experientiam solam sequens eos impugnare studet. Nam nunc, unguentorum lotionumque abusu, perquam periculosa metaschematismata efficiente, obliterato, alter consilium suum mutat, quod, ut majora evitaret mala, se iis mederi non posse existimat; alter remedia praedominantia laudata, ut: balnea resolventia, sudationes Rossicas, antimonialia, cantharides, arsenicum etc. etc. interne per breve tempus adhibet, morbi lenimen quoddam, aut curam palliativam assequitur, quibus peractis, animo suo perculso, omni cura desperat. Quum vero nos parum hujus morbi causarum

gnari simus, therapiae ratio comparata cum pathologia, secunda est habenda. Aetiologiae chronicorum exanthematum, disciplinarum medicarum erat sors: duabus partibus adnumerari diversis, quarum quaeque levibus sententiis incitata, alteram superare non potest. Alii saepissime nec humorum dyscrasiam nec alius organi malum animadvertentes, morbum cutis organicum unam solam exanthematum causam habebant, cutem ut quodlibet organum, suis propriis morbis esse subjectam; quae bona atque recta quidem sententia ab iis pro pathologia recte non adhibita est; prostremum autem alios non valde claros et perspicuos morbos vegetationis nullam ducunt rationem aut falso illos morbos efflorescentiae cutaneae habent secundarios, ut multi medici anginam in scarlatina. — Pars altera, vegetationis malum, dyscrasiae radicem, semper depositionem in cutem facientis esse habendum, optime intellexit. Sunt denique alii, qui eclectici, vero jam propinquiores, exanthema quoddam cuti, aliud quoddam aliis et incertis organis vegetationis adscribant. Quod ad nos attinet, lectores rogaturi sumus, ne nos prohibeant, quominus eos certiores faciamus de nonnullis horum morborum originibus, quae, nisi fallimur, usque ad hoc nostrum tempus a nemine satis declaratae, neque ullo pacto eclectica summa alienorum studiorum explorationumque haberi possunt. Sed ad hanc rem persequendam facere non possumus, quin conditiones nonnullas physiologicas inter cutem et membranas pituitarias praesumamus.

THESIS PRIMA.

Abnormis cutis defunctio, argumentum nobis ante oculos fert quarundam dyscrasiarum, quibus semper vis naturae medicatrix criticis secretionibus cutaneis mederi studet.

Ut omittamus experientias, quas nunc exposiutri sumus, jam et anatomia et physiologia similitudines constantes systematis cutis atque membranarum mucosarum nobis satis probant praemissum, neque unquam negandum vicariae conditionis utriusque systematis. Omnibus aliis neglectis, hic solum similitudinem cryptarum sebacearum cutis cum cryptis mucosis, epithelii et epidermidis, quae ambo tela cornea constant; adde harum membranarum aliam alius naturam accipere posse, ut exempli gratia demonstrant cutis glandis circumcisae penis, mucosa cuti simillima vaginae post longum hujus organi prolapsum; denique illae duobus systematibus salium secretiones communes, acidi carbonici cet. cet. Tantum abest, ut innumerabilia pathologiae facta omittamus, ut hic nixi certis et veris experientiis, hanc sententiam proponamus: cutem et membranas pituitarias, sola inter omnia systemata, per quae communicatio fiat cum natura externa, iisdem legibus et institutis parere, et functionem alterius suppressam ex eadem ratione cum altero communicari.

Neque nobis exempla plurima, eademque gravissma

desunt, veluti: catarrhus et ephemera diarrhoea suppressa transpiratione, ciborum appetitus balneo frigido sumto, cholera post combustiones late diffusas oriunda, alvi ordinaria obstructio erumpente exanthemate acuto, exanthemata, quae tam saepe post menses suppressos fiunt, affectus amborum systematum ab exanthematibus; (nam in scarlatina non solum cutis rubefacta est, sed verisimile quoque et omnes membranae mucosae, quae sane non nisi in faucibus adspici possunt), in morbillis respirationis viae tam vehementer affectae sunt, ut Schoenlein hunc quoque morbum catarrhis adnumeret, et hoc nostro tempore et in tractu intestinorum variolae animadversae sunt, et ni fallimur hypothesis non repudianda est, si apud plurima exanthemata et similes membranarum mucosarum affectus creduntur, cum tam saepe concoctio perturbata, pulmonum mala et conjunctivae affectus simulatque observentur.

Membranarum mucosarum systema, ut normaliter defungatur, semper cutis functionem analogam poscit, atque apud feminam mucosa uteri et vaginae, in majore mammarum et glutaeorum regionis convexitate analogon cutis habere videtur; ex quo sequitur, ut omnis cutis defunctio abnormis, debilitate, rigore, aucta vel minuta cutis sensibilitate condita, semper vicariam quoque functionem in membrana aliqua mucosa gignere debeat. Ut hanc sententiam exemplorum vi adjuvemus, haec exponamus: J. P. Frank et multi alii medici periti experientia confirmant, homines cum tenera, molli et pallida

cute, quibus etiam plurimum capilli flavi sunt, chronicis exanthematibus laborare solere; quod ita declarandum est, cutis nimis tenuis vel debilis, quae necessario epidermidem non perfectam tantum, tutelam contra naturam externam gignere potest, necessitudine coacta non perfecte quoque fungatur. S. G. Vogel in ea sectione sui libri (Handbuch der practischen Arzneiwissenschaft. Stendal, 1789. Tom. II. pag. 288. sqq.), quae tractat de febri catarrhali, observationes quasdam pretiosissimas, easdemque optimas adnumerando pathologiae factis, de quibus supra disseruimus, nobis praebet: communicat nobis C. Wintringhamii observationes, qui memoriae tradidit, homines, qui magnas extremitatum partes amiserint, perpetuo atque perpetuo catarrho laborare; quam quoque experientiam per frequentes scrutationes ita confirmatam invenimus, ut tales homines modo chronico pectoris catarrho, modo saepissima eademque irregularissima alvi excretione, modo ardore ventriculi, modo frequentissimo sudore inter crura aut alios corporis locos et aliis secretionibus abnormibus hujusmodi laborent; quae omnia satis nos edocent, functionem amissae partis cutis, modo cujusdam partis membranae mucosae actione vicaria, modo aliis locis cutis ipsius, ab organismo expleri. Tum ille illam Poupartii observationem nobiscum communicat, homines herpete affectos magis quam alios coryza laborare: quam experientiam unusquisque mecum confirmabit.

Catarrhum chronicum suppressa cutis functione

oriri et sensibilitate hominis affecti erga quamvis tempestatis vicissitudinem concludamus, ex analogia cum raro catarrho semper post refrigerationem oriente, tandemque ex utilitate balneorum Rossicorum, quia haec sine dubio tantum cutis sensibilitate immoderata sublata, effectum tam perdurantem salubremque efficere possunt; certo tamen nemo hancce Poupartii observationem hoc modo exponet, ut herpete cutis defunctio supprimatur; (quomodo enim cutis tam particula, in quam herpes saepe coërcetur tantum chronicum, pulmones plane occupantem catarrhum efficere possit?) et respirationis organis laborantibus herpetem oriri posse, nemo sana mente credere audebit. Alia vero nobis veritas de consociatione catarrhi et herpetis perscrutantibus occurrit: catarrhum nempe et herpetem, ambo producta ejusdem mali fundamentalis, abnormis cutis functionis nempe, necessario esse habenda, membrana viarum respirationis catarrhum, illa tractus intestinorum vero abnormi secretione dyscrasiam, quam secundam herpes efflorescit, efficientes; membrana enim mucosa canalis alimentarii, ex legibus physiologicis, et cutis et respirationis viarum vicariam se gerit*); sin autem anomalias in perpetua functione intestinorum hocce modo orientes recte intelligimus, dyscrasiae conditionem profecto negare non possumus, si illarum secretionum vim in chylopoësin et hae-

*) Haec veritas ex Bichatii disquisitione membranarum tam manifesta, ut aliae gravissimae recentioris physiologiae perscrutationes fere minime adhibeantur in medicina practica, quod valde est vituperandum.

matosin satis respicimus. Ut habitus aut ratio functionis cutis interruptae diversa, ita modo ventriculi ardor oriundus est — effectus immodica et abnormi secretione succi gastrici, — quem semper chymi nimia aciditas, alvus adstricta et dyscrasia sequuntur, aut secretio abnormis in profundioribus intestini partibus oritur, plus minusve aut nullo modo immediate se manifestans, aut denique in intestino recto, sequente diarrhoea chronica irregulari, omnibus remediis pharmaceuticis obstante, in quocunque casu vero dyscrasiam efficiens, quum nulla secretio abnormis, sanguinis mixtionem non abnormem reddentem existere possit. Exanthemata itaque, quorum aetiologia tam obscura est, eruptiones criticas illarum variarum dyscrasiarum habenda esse, nemo negabit. Interdum exanthemata modo declarato exorta, massae gravitate eminere non possunt (haec enim in organis massatim secernentibus, veluti: secretione abnormi hepatis bile sine impedimento defluente, in pancreate, glandulis salivalibus et forsan quoque in liene fontem habent), nam in toto canale alimentario, ventriculo praecipue excepto, magna secretio humorum vel succorum pro chylopoësi non procedit; itaque dyscrasia primum in cute oriens: psoriasis, lichen simplex, pityriasis et ea chronica exanthemata, quae, quamquum late diffusa, tamen magis aegra epidermide quam secretione profusa eminent, porro crebri herpetis casus, ubi hic quidem parvum locum tenet, sed tamen omnibus remediis pharmaceuticis obstat, se manifestabit. Si illa sententia

modo nominata non magis hypothesis habenda, ut tot vera pathologiae a nemine negata, nunc sententiam proponamus, quae probanda practicis est.

Non solum contumacem leucorrhoeam, sed multos alios, saepe insanabiles designatos cujusdam partis cutis aut membranae mucosae morbos, cutis functione abnormi, pro quibus vicarii sunt, oriri existimamus, quibus malis: otorrhoea interna et externa, diuturna oculi blennorrhoea, leves morbi cavi oris, coryza fere nunquam pausans gravedine non praecedente, pertinax pyrosis, alvus multipliciter obstructa, sudor inter crura profusus et perpetuae pedum sudationes adnumerari debent; mala, quorum suppressio, quia actionem vicario - criticam perturbat, morbos illos secundarios satis declarat.

Interea quoque verisimile est, ut alii quidam harum partium morbi similibus causis producantur, inter quos morbi unguium et capillorum eorumque pigmenti, cutis parasitae memoratu digni et de iis deducendi sunt.

Sed quamnam utilitatem haecce perscrutatio aetiologica, morborum therapiae, quos modo nominavimus, praebet? Facillime intelligitur: cutis, ut quodcunque organon, hic aegrota est, unde sequitur, ut abnormiter defungatur, sicut in alio quovis organo semper hoc apparet; quod vero tantum cute nimis debili oritur. Cutis ejusmodi tantum epidermidem debilem cujus matrix est, gignere potuit, quae vero iterum cuti parvam contra vim et atmosphaericam et aliam praebebit tutelam, unde semper actionem abnormem et moderatam functionum evapora-

tionis et excretionis materiarum solidarum gigni oportet, itaque dyscrasiam perpetuam, quae nonnisi cute confirmata, itaque non remediis pharmaceuticis, sed solum balneis Rossicis sanari potest. Jam diu medici practici balnea vaporacea solum remedium, quod chronicis exanthematibus in perpetuam mederi potest, quibus balnea mineralia tantum auxilio palliativo erunt, multiplicibus experientiis cognoverunt. Sed haec cura sententiam nostram supra propositam admodum corroborat, si enim sudationes Rossicae oriunda diaphoresi aut gignendo in vasorum systemate impetu circulationis, curam effecerant, tantum remedia palliativa essent neque unquam perpetuam curam producere possent, cutis sola autem ab iis ooganice mutatur et restituitur, quo facto ejus defunctio ad normam reducitur. Cutis balneis vaporaceis, praecipue autem frictione betulae fronde, cuti aqua frigida infusa, talem vitae propriae incitationem, tantamque sensibilitatis et functionis correctionem accipit, ut usu continuato balneorum Rossicorum et vita augenda et functione sic dicta dynamica, necessario hocce organum confirmatum reddi oporteat. Cutis confirmata epidermidem meliorem producet, quae crebris in balneis vaporaceis tactionibus, plerumque supra nominatis densatur, ut nobis ex clavis pedum, planta pedis et palma manus concludendum est, ubi epidermidis densatio pressu aut crebro tactu provocata, tam clare demonstrata est.

Itaque si medici spectatissimi nostram sententiam non plane repudiant, balnea Rossica aut alias corrigendae

cutis methodos contra illos morbos etiam, quos supra exposuimus, adhibebunt; quod adhuc, ni fallimur, nondum factum est.

ALII FONTES IMPETIGINUM.

Quanquam nunc demonstravimus, cutem per functionem abnormem dyscrasias gignere posse, tamen admodum falsum est, eam unam, ne creberrimam quidem causam habere. Diversissimae sunt chronicorum exanthematum et causae et formae, diversissimus est modus remediorum, diaetae eorumque prognosis. Plura exanthemata sicca observavimus, quae maximis in diaeta peccatis, ne spirituosis quidem, per longum temporis spatium continuo sumtis, in deterius mutata sunt; talia peccata vero dyscrasias varias saepe et crebro in deterius mutare inter omnes constat. Diversae medicorum curae, quibus curationes modo radicales, modo palliativae, modo nullae efficiuntur, hic copiose non exponantur, quod haec facta satis nota sunt. Si autem multa organa, quae vim habent in partes constituentes et morbos eorum, qui plus minusve cerni possunt, porro multiplicem et sporadicam et epidemicam vim in corpus humanum cogitamus, clavis ad explicationem variarum dyscrasiarum naturarum, quas supra diximus, nondum quidem invenietur, sed fatendum nobis erit, quum physiologia nunc gloriose se sustulerit, novam doctrinam de omnibus morbis, aeque ac de dyscrasiarum pathogenesi ortum iri, si quidem medicis placebit, physiologiae ope morbos potius perscrutari, quam aut innumerabiles experientias clinicas referre in ephemerides literarias, aut mirifica nova remedia aperire simulare; quod studium speciosum vero nostri Germaniae medici, gratiae

agantur Deo, fere non habent. Sed ad rem redeamus: Qua ex re humorum dyscrasias certo derivare possimus et qua ex re diversas earum rationes?

Hic unusquisque ad chemiam confugiet atque materias diversas pro illius variis rationibus exponi cupiet; sed hac via paullulum modo ei satisfiet, sanguinis enim analysis chemica, nullo modo in omnibus morbis tantam mixtionis abnormitatem exhibet, ut illa instituta explicatione satisfaciente gaudeamus, quod Dejeux et Parmentier experimentis demonstrarunt. Attamen facta haud pauca exstiterunt quae demonstrant:

1) Sanguinem in morbis quibusdam abnormem esse redditum et

2) A morbo organi cujusdam, aliorum organorum, licet non malo aliquo laborantium, secretionem abnormem oriri.

Quibus demonstrandis hae pro prima sententia proponendae sunt experientiae: In inflammationibus organorum internorum et potissimum in hepatitide, sanguis oleosus invenitur, serum e gilvo candicans, cui consistentia floris lactis meliorus, post tres imo hebdomades neque se dissolvens neque excretum quoddam praebens.

Homini pleuritide chronica et vertigine laboranti, sanguis per v. s. detrahebatur, qui peculiarem quendam materiam continebat.

Sanguis ictericorum placentam sanguineam praebet ex rubro subnigram, serum vero admodum flavum, non amarum. (Cf. Leop. Gmelin: Handbuch d. theor. Chemie. 2ten Bds. 2te Abthlg. pag. 1383. ff.)

Secundae vero opinioni hae favent experientiae:

Inveveniebatur multum acidi acetici in saliva aegri, cujus anima et cutis secreta aceti odorem sparserunt,

cujusque succus gastricus itidem multum continebat acidi acetici, dum lotium ejusdem reactione admodum alcalica excellebat.

Urina, inter chronicam hepatitidem emissa perpallida est, parum materiae analysi reliquit, et vix vestigium praebet acidi et principii urinosi (Harnsäure u. Harnstoff.)

Urina dyspepsia laborantium celeriter putrescit gallisque crassa praecipitatur. —

Urina ictericorum picromel continet, quae alias materia non nisi in bile invenitur. —

Insigne hepatis vis in renum secretionem argumentum illud nobis adfert factum, quod urina hydropicorum, quae plurimum nimis onerata est materia albuminosa, hujusce materiae nihil continet, si cum hydrope tum simul hepate laborant, quo casu urina est fusca atque fuscum praebet sedimentum.

Urina puellae quindecim annorum, stomacho laborantis, semper in paroxysmis cardialgiae vehementioribus collecta, fusca erat et caeruleum praebebat sedimentum. (Cf. Gmelin. l. c. p. 1398 seq.)

Praeter haec laudata, multa insuper reperta sunt lotii sedimenta et alia secreta abnormia, quae demonstrant, secretionibus abnormibus organorum quorundam aliorum quoque secretiones reddi abnormes; de quibus omnibus fusius tractatur in Gmelini opere, supra citato.

Demonstratio autem fontium variarum dyscrasiarum quoad pathogenesin ex difficillimis in pathologia generali est pensum. Quum verum omnia ad hoc grave et difficile problema solvendum facta magni sint momenti, haec, quamquam perpauca cum lectoribus communicare nobis liceat. Quae facta, ut multis et frequentibus experientiis adjuvemus, — homines chronicis exanthematibus laborantes, pluribus vel minoribus corporis parti-

bus semper secretionibus immoderatis affectos observavimus. Conditione levissima modo multus sudor in fronte, in scroto, inter axillas cruraque atque in pedibus gignitur, modo mucum tenuem spuunt, plerumque continua coryza, conjunctivae blennorrhoea, lingua aut bile aut muco obtecta, pyrosi, alvi excretione irregulari laborant. Ut dyscrasia igitur in tali homine secretionibus nimiis simulque qualitate abnormibus existentiam debeat, magis quam verisimile est, quam opinionem serius probabiliorem reddamus. Huic sententiae vis diaetae quoque in exanthemata favet: sal culinare enim, tam fortiter omnium glandularum secretiones incitans, omnibus temporibus impetigine laborantibus nocens se praebuit; nec minus anni vicissitudines; nam in tempore aestivo, quo et animantium et plantarum secretiones multo sunt adauctae, exanthemata quoque chronica magis crescunt, liceat non obliviscamur, per calorem externum dyscrasiam magis cutem petere. Si hoc via ducendi est ad vestigium dyscrasiarum clinica, probabilis facta observatione, tamen causa harum nimis auctarum secretionum nobis est demonstranda; nam ut pathologia specialis morborum historia naturalis, ita pathologia generalis physice eorum esse debet. Instituta quae secundum aegritudo quaedam in corpore excolatur nobis ante oculos ponit et ad quae exponenda partim clinicis experientiis partim physiologia utitur; experientia supra jam dicta est, sed ut physiologicam illius visi causam adipiscerer frustra operam dedi, neque unquam eam invenissem, nisi quod ad hanc perscrutationem multum nostrum interest, praeceptorem meum spectatissimum et illustrissimum, optime de physiologia et arte medica meritum Joannem Muellerum, ut me ea de re doceret, rogassem; quia benignitas sua non solum erga discipulos, sed etiam

unicuique studio ad literas pertinenti mihi satis nota est. Ill. Mueller nostram sententiam, abnormis secretionis causam in nervorum systemate quaerendam esse quidem confirmavit, sed vitium ipsum nervorum non anatomia, sed solum abnormi in secretionem vi esse manifestum addidit, quae causa communi nomine „nervorum intemperies" nobis designanda esset. Nervorum mala ceterum in secretiones magnam vim habere, multa facta corroborant, veluti urina clara et limpida in morbis spasmodicis et hystericis, mensium anomalia intemperie nervi sympathici condita, quam Carus nobis communicat multaque alia facta.

Sed alia exponenda est causa gravissima secretionis qualitate abnormis, quam Ill. Mueller mecum communicare tam benignus erat, quae sic est illustranda.

THESIS SECUNDA.

Quodvis organum, quaviscunque causa qualitate abnormiter secernens, abnormem aliorum organorum secretionem provocat et hoc modo aut per aliud aut per se ipsum causam dyscrasiae proximam efficit.

Vegetationis morbos dyscrasias efficere inter omnes constat, quamquam enim tantum in eorum quibusdam generibus velut in scrophulosi, scorbuto, pellagra cet. cet. illa interna mala exanthematis eruptionem progredientia, luculenter videmus, tamen ex analogia nobis concludendum est, similem causam in pluribus dyscrasiis existere.

Ut quodcunque organum secernens illustris Mueller inquit, materiam qualitate abnormem secernit, alia quoque exinde organa abnormiter secernere oportet, quod faciliter intelligas: secretum enim abnorme, materiis a sanguine sumptis compositum, abnormem inde sangui-

nem universum relinquit, a sanguine verum, mixtione abnormi, secretum nullo modo sânum sumi potest. Si vitiosa vero secretio est, tunc plurimum etiam quantitate nimia comparere solet, quam theoriam experientia supra memorata, nimis crebrarum et immodicarum secretionum, quam in exanthematibus laborantibus fecimus, valde corroborat. Unumquodque secretum abnorme per se jam dyscrasiam efficit, quum ut supra declaratum, abnormes secretiones generales sequuntur. Si e. g. renes abnormiter secernunt, urina abnormis quidem nullam efficiat dyscrasiam, valde vero modificationem in cutis functione (ex antagonismo inter renes et cutem), et nunc, ex legibus supra expositis etiam moderatio secretionis in canale alimentario oriunda est, quo casu semper renum abnormi secretione dyscrasia gignitur. Roganti vero, quomodo antimonialia, mercurialia, multarum herbarum succi totque alia resolventia remedia, dyscrasiis mederi possent, quum secretiones incitantia satis sint nota, itaque secundum illam theoriam valde noceant in his morbis, respondebimus: illa remedia restauratione cujusdam organi secretionis, aliarum etiam abnormem secundariam eo ipso adimere. Hoc elucet, quare mox diuretica, mox laxantia, mox diaphoretica aut resolventia tantum a medicis exanthematibus curandis laudantur. Pertinacissimorum exanthematum cura, sententiae supra memoratae, abnormis secretionis causam nervorum esse intemperiem favet; omnibus enim resolventibus frustra adhibitis, cantharidibusque tantum auxilio palliativo, arsenico felicissimae curae adeptae sunt *). Arsenicum quidem quo-

*) Clariss. Fuchs Wurceburgensis Professor medicinae, psoriasis pertinacissimae casus, quibus cantharides tantum palliativum auxilium modo attulissent, arsenico plane a se curatos esse, mihi narravit.

que quodammodo secretiones et praecipue urinae et tractus intestinorum adauget, sed multo levius quam remedia modo laudata, neque ullo modo curam hac vi radicalem efficere potest. Verus autem ejus effectus, nervorum profunde adprehendens alteratio est, quam nullo alio remedio assequi possumus, ut Vogt (Pharmokodynamik, 3te Auflage, Band I. pag. 596. sqq.) tam luculenter demonstravit.

Ne vero lectorum patientia abutar, hic dissertatiunculae finem ponam, quod nihil novi adhuc ea de re edere possum, sperans fore, ut si morbos internos exanthemata comitantes accurate, sicut chemiam pathologicam magis quam adhuc respexerimus, et chronicorum exanthematum aetiologiae et multis aliis morbis stella lucida clarae intelligentiae in coelo medendi artis nobis modo apparebit, si quidem omnes medici, in officiis sacris exercendis, magis artis amori quam suis propriis commodis servient, si exemplo ab Hippocrate et tot aliis celeberrimis medicis sumtis, intimas naturae actiones explorabunt et more Celsi sine opinione praejudicata de rebus visis aequum et liberum judicium ferant. Sed dulcis spes nobis arridet multis eximiis praeceptoribus, quibus Europae et potissimum Germaniae sedes literariae gaudent, fore ut medici solam exercitationem persequentes, mox plane opprimantur et nostri medici hoc unum studium salubre in arte medendi: studium veritatis petantur.

VITA.

Ego *Jonas Henricus Schweich* Neovidiae ad Rhenum, anno millesimo octingentesimo decimo natus sum, patre Henrico, matre Gertruda e gente *Büschendahl*, quos Dei optimi maximi favore pio animo vivos veneror. Judaicam profiteor religionem. — A praeceptoribus privatis patrios intra muros disciplinis scholasticis imbutus sum, deinde veris tempore anni MDCCCXXX literarum sedem Bonnensem petivi, ubi postquam in tentamine satisfeceram, Majo mense in studiosorum numerum receptus, Januarioque sequente examine cum testimonio maturitatis superato, Rect. magnif. *Gieseler* et Decano spectatissimo *Harless* civibus academicis adscriptus sum, ibique per annos duos et dimidium hos viros illustrissimos audivi: Ill. *Diesterweg* de matheseos elementis; Ill. *Heinrich* de libro non pridem in lucem prolato Ciceronis de re publica; Ill. *Loebell* de historia recentioris aevi atque literatura Germanorum; Ill. *Müller* de encyclopaedia et methodologia medicinae, de physiologia generali et speciali et de pathologia generali cum semiotice; Ill. *Mayer* de anatomia generali et speciali et de arte cadavera dissecandi; Ill. *Weber* de iisdem disciplinis et de osteologia separatim; Ill. *a Münchow* de physica experimentali; Ill. *Nasse* de anthropologia; Ill. *Calker* de logica et psychologia; Ill. *Harless* de materia medica, hygieina, de historia medicinae atque de cholera morbo; Exp. *Ritter* de grammatica latina; Ill. *Noeggerath* de mineralogia; Ill. *Goldfuss* de zoologia et zootomia atque de mammalium historia naturali; Ill. *G. Bischof* de chemia experimentali; Ill. *Treviranus* de botanica; Cel. *Albers* de pathologia speciali et de morbis syphiliticis.

Tempore hoc praeterlapso musarum sedem Herbipolensem adii, ubi Rectore magnifico *Schön* et Decano spect. *Ruland* receptus et annum solum moratus, hasce praelectiones et clinica visitavi: Ill. *Pickel* de chemia et pharmacia; Ill. *d'Outrepont* de arte obstetricia et clin. obstet.; Ill. *Jaeger* de chirurgia, herniologia et clin. chirurg.; Ill. *Mar-*

cus de therapia speciali et clin. med.; Ill. *Ruland* de medicina forensi et politia medica; Cel. *Fuchs* policlinicum medicum.

Regis nostri potentissimi jussui, quo omnes indigenae a peregrinis academiis revocati sunt, obediens, autumni tempore anni MDCCCXXXIII in literariam univ. Berolinensem me contuli, ubi a Rectore magnif. *Weiss* et Decano maxime spectabili *Busch* albo academico insertus, hisce clinicis et praelectionibus interfui: Ill. *Busch*, h. t. Ord. medicor. Decan. maxime spectabilis, clinico obstetricio et policlin. cur. femin. morbis; Ill. *Rust* clin. chirurg.; Ill. *Bartels* clin. medico, sermone latino tradito; Cel. *Wolff* clin. med.; Ill. *Müller* de anatomia generali et speciali atque de anatomia organorúm sensuum; Cel. *Casper* de morbis infantium; Ill. *Jueng-ken* de morbis oculorum; Exp. *Isensee* de comparatione curandi methodorum priorum temporum cum recentioribus, de pathologia et therapia speciali, de materia medica et de psychologiae fragmentis, quorum plurimum medicis interest.

Omnibus praeceptoribus meis maximas ago gratias.

Tentaminibus et examine rigoroso rite absolutis, nunc spero fore, ut thesibus defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi adferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Nervorum systema plurimorum morborum est sedes.*
2. *Physiologia comparata uberior fons est pro pathologia generali quam studium experientiarum clinicarum.*
3. *Pathologia generalis speciali dignitate gravior est.*
4. *Ligatura vasorum torsioni est praeferenda.*
5. *Inter ulcus et exanthema essentialis non est differentia.*
6. *Sunt certa graviditatis signa.*